



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Tycho Episc. 16. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

16. Junii VITÆ SANCTORVM. 299  
*humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam; & ejus-  
modi cogitatione, si perseveraveris, parum senties quic-  
quid foris videtur molestum. S. Bern. serm. de om. SS.*

S. TYCHO EPISC. 16. Junii.

**D**amus Euclionibus mancipiis pecuniæ rei  
augendæ magistrum doctoremq; gratissimæ  
artis, quâ granaria frumento stipentur, numusque  
in arcâ crescat. TYCHO is est, ætate puer, sed cano  
sensu, avari parentis filius, multò tamen peritior  
pecuniariæ venationis. quod vel hinc intelligas.  
Pater oneratum panibus in forum miserat: puer  
indignatus unciarum quæstum iis venditis redi-  
turum, è merce stipem facit, eamque in obvios  
pauperes effundit. Patri æs reposcenti artificium  
suum aperit; panes apud Christum in fœnore po-  
sitos, & quidem centuplicato. eam in rem se syn-  
grapham accepisse. Pater nulli rei præterquam  
oculis suis crediturus, puerilis fidei experimen-  
tum in horreis quæsit: & ecce tibi quæ pridie  
vacuefecerat, importatum divinitus frumentum  
agrè ceperunt. Eâdem facilitate cellas replevit.  
Aridum vitis surculum. & pridem exsuccum humi  
depanxit, neque vitam illi modò, & germinandi  
vim, sed perpetui etiam gloriam miraculi contu-  
lit. Unus enim ille palmes, quo die anniversaria  
TYCHONIS memoria peragitur, sub initium rei  
divinæ viventis uvas ostentabat, quæ ante sacrifi-  
cium finitum ad maturitatem percoquerentur,  
præcocem suo satori vindemiam præbituræ. Quid  
ad hæc avari? In scholâ Pluti negant recepta esse  
paradoxa Christi. *Ex Menæis.*

*Quid vereris fluxum & fragile bonum facere sem-  
piternum? aut thesauros tuos custodi Deo credere? ubi*

*non furem pradamq; iuvenis, non rubiginem, non yranium: qui apud Deum dives est, pauper esse nunquam potest. Lactant. in Epit. Instit. c. 12.*

SS. QUIRICUS & JULITTA MM.

16. Iunii.

**D**atur optio; exempla Christianæ fortitudinis à trienni puero, an feminâ malis petere: hujus sexûs, illius ætas convitium facient ignaviæ tuæ, si detrectas vel desperas sequi hos duces; & audies sanè quod olim Augustinus: *An non potes quod iste & ista?* Exercebat Tarsi quæstionem de Christianis Alexander. JULITTA QUIRICVM filiolum ultro ad tribunal non duxit, sed tulit, puto ne unicum Abrahæ in hanc rem facinus ostendi generi humano posset. Alexander in disparem prædam non eodem affectu grassatus, matrem atrocissimè, filium blandissimè excepit, haud scias in leoninâ an vulpinâ pelle nequior. Certè QUIRICVS illius receptus sinu, appetitus osculis, inescarus promissis, nullum, neque plorandi, neque quiritandi finem fecit; cùm JULITTA contrâ pendens in equuleo, & taureis conscissa, gemitum nullum ederet, ut propriâ amborum confessione constaret, utrius conditio esset iniquior. Consumptis lacrimis, imbellia etiam arma expeditit triennis heros, & nuper natos dentes tenerosque ungues strinxit in adulatorem suum, luctando effecturus, ne mitior in se, quàm in matrem esset. Et potitus est voto suo; Alexander ad tribunalis gradus victori animam elisit. Quid mater? nunquam lætiore vultu suum pignus aspexit, idemque beneficium poposcit, ut quàm citissimè eum assequeretur. Impetravit: laniata unguis, perfusa pice cervicem securi